Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2299
Quelle:
Copyright:

Bohemiæ ac demum Romanorum sceptrum a Deo, qui Te elegit, assumpto, obseruantiæ ac seruitutis meæ symbolum et Tuis Coronis consentaneum munusculum — offerre constitui. — Accipe igitur — Librum adhortatorium magis, quam gratulatorium meum. — De hoc Tibi gratulor — quod sub sanctissima et religiosissima Genitrice Tua (Maria Hisp.) *et sub Catholico Rege fidei orthodoxæ defensore illo Hispaniarum Rege Philippo institutus* &c. De Patre *Maximiliano* II. Imp. nec verbum. Ex ipsa demum Operis inscriptione innotescit Autor: *Petrus Illicinus J. U. D. Prothonotarius Apostolicus et Canonicus Olomucensis*, cujus Viri patria *Senensis* Itali fata et scripta oblivioni eripere conatus sum in *Wiens Buchdruckergeschicht* p. 481. quibus haec nostra Lucubratio typis nunquam, ut putem, commissa in cumulum accedit. Tempus scriptionis ex eo liquet, quod *Rudolphus* 1. *Nov.* 1575. Rex Romanorum coronatus fuerit, et jam mense *Octobr.* anni sequentis Patri in imperio successerit. Opus ipsum, quod quadam ratione magni *Bossueti* Tractatum *Politique tirée de la s. Ecriture* refert, circa officia Principis in negotio Religionis plurimum occupatur, magnumque Autoris cum sacrarum literarum, tum omnis antiquitatis ecclesiasticae et Legum usum commendat; Romanae tamen Sedi plus aequo in Principes tribuit, atque hinc *Marsilium Patavinum* et *Guil. Occamum* recentioribus dissensionum autoribus, in quos acriter passim insurgit, adnumerat. Initium est: *Quod foelix faustumque sit, recte sanctaeque fidei Alumne ac Defensor, Christianique orbis spes reliqua Rhodolphe Rex inclyte! ad eam uocatus et assumptus es a Christo Regum Rege, Dominoque dominantium coronam* &c. Atque hinc ad finem absque ulla divisione decurrit.

DCXII.

Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 73. f. praeclare scriptus, rubricis ornatus et servatus complectitur: I. *Althelmi* seu *Aldelmi Kenredi* filii, *Inae Westsaxonum* Regis nepotis, qui ex Abbate *Meildunensi*, *Maildulphesburiensi* s. *Malmesburiensi* creatus est *Shireburnensis* (ab Anglosax. *Scir*, *Schier*, lucidus et *Born* fons) s. *Clari Fontis* Episcopus, et obiit a. 709. Librum metricum *de Virginitate*, cui cohaeret ejusdem Liber metricus *de Octo Principalibus Vitiis*, distinctus a priore in *Cod. S. Galli*, e quo utrumque primus vulgavit *Henr. Canisius* T. V. *Lect. antiq.* a p. 798. unde in *Bibliothecas PP.* transiere, leguntur que in edit. *Lugd.* T. XIII. a p. 1. et in *Basnagiana Canisii* edit. T. I. a p. 709. Initium nobis ducit *Praefatio*, quae quamvis *Maximae Abbatissae*, ut 354

in